

per tale sæculare statutum ligari; aliud, eos sub certa lege alicujus præstationis, v. g. observandi cæteras ejus qualitates, ad statuti commodum invitari, arg. l. *Titio centum*, § 2. ff. *de Condition. et demonstrat.* et notant Alexander, lib. II, consil. 210, n. 5, ac Sperellus, loc. cit. num. 19. et alii. Sic autem in proposito accidit respectu ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum: nam hæ non ligantur statuto laicali, ita ut ad ejus observantiam sint adstricti (non enim subsunt statuentium jurisdictioni), quamvis ejusfavore et commodo frui possint, si velint; ea tamen conditione, ut illud non ex parte dumtaxat, sed cum omnibus suis qualitatibus recipiant.

339. V. *Quando clericus cum alio contrahens paciscitur, ut pro observantia contractus ad formam statuti laicalis conveniri valeat.* — Quintus casus est: Quando clericus cum alio contrahens voluntarie paciscitur ut pro observantia contractus conveniri valeat ad formam statuti laicalis. Abbas, part. II, consil. 33, n. 1 et 2., et card. de Luca, tom. I. *Miscellanei ecclesiastici*, discours. 8, n. 8, et discours. 116, *de Credito*, n. 16 et 17. Qui tamen optime advertit, quod in tali casu lex, sive statutum laicale obliget clericum, non in ratione legis, seu statuti laicalis (est enim persona privilegiata, ut specialiter exempla a jurisdictione sæcularium), sed in ratione pacti: quia nimirum ad formam statuti laicalis cum alio paciscivolvit; sicque subintrat regula 85 juris in 6. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur.

340. *Solvitur instantia. Clericus, etiam volens, non potest in judicem laicum consentire.* — Nec obstat, quod clerici, etiam volentes, non possint in judicem laicum consentire. c. *Significasti*. 18. *de Foro compet.* ac proinde neque statutis laicorum sese submittere; cum a pari procedant, forum sortiri, et statutis ligari. Non obstat, inquam; quia ubi per clericos deducitur in pactum, ut contractus non teneat, nisi sub qualitatibus et conditionibus statuti laicalis, obligatio non oritur ex vi statuti illius, sed ex vi voluntariæ paciscientium conventionis, propriique pacti: estque juxta hujus normam postea judicandum sive in foro civili per clericum actorem, sive in foro ecclesiastico contra clericum reum lis moveatur. Neque etiam hinc sequitur submisso clerici respectu fori, vel statuti sæcularis; sed solum habetur spontanea conventio facta sub qualitatibus statuti laicali, ultro per clericum acceptatis; suoque contractui

adjectis, sicut possent huic aliæ honestæ, et rationabiles conditiones per ipsum adjici.

341. VI. *Ubi clericus jure laici habetur etiam ex sensu sacrorum canonum: idque exemplificatur.* Sextus casus est ille, quo clericus jure laici habendus est etiam ex sensu sacrorum canonum. Ita præsertim accidit in clerico negotiatore: nam, quia clericis lucri causa negotiari, sub interminatione anathematis prohibitum est, c. *Secundum*, 6. *Ne clerici*, vel *monachi*, etc. (secus, quando fit justum negotium ex causa necessitatis, cap. I. eod.); si clericus aliquis contravenire præsumperit, is in bonis ad illicitam negotiationem spectantibus non gaudet immunitate reali, sed more laici subjacet gabellis, aliisque oneribus laicalibus. Simile quid accidit loquendo de illis pascuis, in quibus clericus non alio jure pascere potest, nisi civico, et quantum illius civitatis vel loci leges permittunt. Card. de Luca, cit. discours. 8. *Miscellan. ecclesiast.* n. 9.

342. VII. *Quando statutum laicale irritat contractum factum absque certa solemnitate, et clericus veli contrahere cum laico illius loci, quia tenetur dictas solemnitates adhibere; alioquin invalide contrahit.* — Septimus casus est: Quando statutum laicale concernit solemnitatem actus adhibendam tempore contractus, irritando etiam contractum, aliumve actum, si fiat absque certa solemnitate, modo, seu forma in eodem præscripta, et clericus cum laico contrahere velit: tunc enim tenetur clericus servare præscriptas solemnitates, adeo, ut si stante tali statuto sæculari contrahat cum laico illius loci non observata solemnitate, seu forma taliter præscripta, invalide contrahat. Ita Abbas c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, n. 43. et ibi Felinus, n. 81. *Quartus casus*. h. t.; Federicus de Senis, consil. 85; Maranta, disp. 8. *Questionum legalium*, n. 33 et 48; Sperellus, decis. 40, n. 3 et alii. Ratio est, quia laicus, utpote subditus, non potuit contrahere sprete lege sui superioris, arg. *Nemo potest*. ff. *de Legatis* I. Ergo corrumpit contractus in totum, sicque nulla ex eo oritur obligatio. Patet consequentia: quia tali contractui resistit statutum, utpote inhabilitans laici consensum ad taliter contrahendum, l. *Cum lex*. ff. *de Fidejussorib.* Ac proinde, cum contractus claudicare nequeat, veluti importans ultro citroque obligationem, l. *Labeo*. §. *Contractum*. ff. *de Verb. signif.* neque clericus, licet ipse subditus illius statuti non sit, tali informi contractui

juvari, et contra laicum uti poterit. Unde juxta ejusmodi statutum judicabitur in utroque foro, tam civili nimirum, quam ecclesiastico: quia si contractus non valuit, ob inhabilitatem ex parte laici intervenientem, non debet ex eo jus reddi. Abbas, cit. num. 43.

343. *Secus est, si clericus contrahat cum clerico absque illis solemnitatibus.* — Secus est dicendum, quando clericus contrahit cum clerico. Nam quia leges, et statuta sæcularia non possunt astringere, neque sub nullitate actus obligare personas ecclesiasticas (hæ enim vi privilegii fori sunt exemptæ a jurisdictione sæcularium); hinc si in tali loco clericus contrahat cum clerico, non redditur invalidus contractus ob non observatam solemnitatem a statuto laicali præscriptam. In tali enim casu utraque pars contrahentium est persona non subdita statuto, cum sit clericus; ac proinde ad ejus observantiam non tenetur. Maranta, cit. disp. 8, numer. 51; Felinus, ubi supra, num. 94; Sperellus, decis. 40, numer. 10, allegans Baldum, Abbatem, Butrium, et alios, atque hoc citra ullam hæsitacionem dicendum asserens, si in clerici testamento alter clericus sit institutus, vel ab uno clerico fiat donatio in favorem alterius clerici: nulla enim tunc vel ratione personarum vel ratione rei assignari potest laicorum, statutum aliquod condentium, jurisdictionis in clericos sic testantes, vel donantes.

344. VIII. *Quando statutum laicale concernit rem existentem penes laicum, v. g. prohibendo ne alienetur res dotalis.* — Octavus casus est: Quando statutum laicale concernit rem existentem penes laicum; ut puta si dicat, quod res dotalis non possit alienari. Nam si clericus hanc emat, non valet alienatio, quia mulier fuit inhabilitata ad alienandam rem suam dotalem, puta prædium dotale, § 1. instit. *Quibus alienare licet*. Adeo quidem, ut si secus fiat, etiam naturalis obligatio non oriatur, l. *Non dubium*. C. *de Legib.*; Abbas in c. *Quod clericis*, n. 30. *de Foro compet.*; Felinus d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, numer. 84, h. t. et alii. Quanquam hoc intelligendum sit, dummodo ejusmodi statutum cæteroquin disponat in casu licito, et inter subditos, ac non in fraudem, nec alio modo restringat libertatem ecclesiasticam, ipsique præjudicet; prout in proxime data conclusione supponitur, ac limitat Abbas, loc. cit. numer. 28. Alioquin enim subintrat, atque obsistit dispositio cap. ult. *de*

Immunit. Eccles. in 6, juncta Glossa, et Doctores ibid.

345. *Donatio ultra quingentos solidos, a laico facta cuiquam clerico absque insinuatione apud judicem, non valet.* — Similiter, atque ob allatas hactenus rationes, præsertim n. 342 expressas, donatio ultra quingentos solidos absque insinuatione apud judicem a laico facta non valet, etiamsi fiat non subdito legis civilis, v. g. clerico. Abbas d. c. *Quod clericus*, n. 6, *de Foro compet.*; Felinus, ubi supra n. 82 et alii. Siquidem laicus, utpote subditus illius legis, est inhabilitatus ad donandum ultra illam summam absque insinuatione apud judicem, l. *Sancimus*. juncta auth. seq. C. *de Donationib.*

346. *Nisi fiat ipsi ut pauperi, vel Ecclesie, sive ad pias causas.* — Intellige, si donatio illa per laicum fiat clerico contemplatione suæ personæ: secus, si ea fiat Ecclesie, aut clerico veluti pauperi pro salute animæ suæ, a laico illo donante. Nam talis donatio censeretur facta ad pias causas, sicque valeret, utpote specialiter privilegiata: siquidem jus civile pietatis opera impedire, vel restringere non potest; cum Christi consilium sit *Matth.* XIX. 21. *Vade, vende omnia tuæ habes, et da pauperibus*. Dummodo tamen donatio illa non sit inofficiosa: nam talem Christus quoque reprobatur, *Matth.* cap. XV, 51. et concordat *can. Quicumque*. 17. q. 4.

347. IX. *Quando statutum laicale injecit vinculum ante clericatum: idque exemplificatur.* — Nonus casus est: Quando statutum laicale injecit vinculum ante clericatum, nec præjudicat immunitati ecclesiasticæ, aut favori religionis. Tale enim statutum sequitur ipsum clericum, eumque obligat, adeo ut etiam in foro ecclesiastico judicetur secundum statutum laicale. Abbas, d. c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, numer. 34, h. t.; Joan. Andreas in reg. *Sine culpa*. *de Reg. jur.*, in 6, qui hoc exemplificant de statuto sæculari, quo cavetur, ut solus primogenitus succedat in hæreditate: quia si secundo genitus post editum tale statutum fiat clericus, ligatur tali statuto, vel consuetudine loci; atque ideo non potest seniori fratri adimere jus primogenituræ, haud obstante clericatu postea primum suscepto. Idem tenent, atque exemplificant doctores in casu statuti laicalis, excludentis fœminas a successione immobilium extantibus masculis: quia extenditur etiam ad eas, quæ postea fiunt moniales; cum statutum jam ante ingressum monas-

terri injecerit eis vinculum, et personas semel legitime exclusas ex nullo jure restituit ingressus religionis. Abbas, in c. *Quod Clericis*, numer. 40; de *Foro compet.*; Felinus, c. *Ecclesia sancte Marie*, numer. 79. de *Constit.*; Menochius, lib. II. de *Jurisdictione*, cap. viii, dubitat. 1. citans alios quamplures, nonnullis exceptis, quos pariter allegat.

348. *Secus, si primum post clericatum conaretur vinculum injicere.* — Secus foret dicendum, si statutum laicale primum post adeptum clericatum conaretur clerico vinculum injicere, eumque ligare: ut puta si factum, in quo statuti laicalis obligatio fundatur superveniat primum clericatum jam suscepto; aut dictum statutum, v. g. super successione filius primogeniti datur primum post susceptum a secundo genito clericatum, vel monachatum. Quia istud statutum laicale non posset ligare clericum juxta dicta num. 324 et 325, atque ideo in tali casu secundo genitus deberet admitti ad hereditatem unicum primogenito. Abbas, cit. numer. 40, et in c. *Ecclesia sancte Marie*, numer. 36; Joan. Andreas, ubi supra, et alii.

349. *Declaratur regula solvendo notabilem instantiam.* — Objectiones contra hoc claritatis gratia. Si statutum laicale, quod injecit vinculum ante clericatum, obligat clericos post clericatum, ergo ferme omnia statuta laicorum obligant clericos: atqui hoc videtur absurdum; ergo. Prebatur sequela: Omnes clerici nascuntur laici, et sic ante susceptum clericatum subjiuntur statutis laicorum pro tunc jam extantibus; ergo, cum statuta laicorum semel injecerint vinculum, ipsis etiam post susceptum clericatum clerici manebunt obstricti. Resp. neg. sequel. cum sua probatione. Nam dictum illud, quod statutum laicale, si injecit vinculum ante clericatum, obliget, seu comprehendat clericos post clericatum, tunc solummodo procedit, quando non solvuntur antea editum fuit statutum laicale, sed insuper jus agendi vitalis statuti oritur ex facto, vel quasi facto ante clericatum susceptum peracto, prout v. g. jus succedendi oritur ex facto, videlicet ex morte parentis, vel avi; sicut etiam jus primogenituræ ex facto, hoc est ex nativitate primo loco facta oritur, ac etiam vivente patre producit effectum, can. *Quam periculum sum*, 7. quæst. 1. si eque jam ante clericatum secundo geniti fuit radicatum, et acquisitum primogenito. Secus est, quando jus agendi oritur ex facto, vel quasi facto, post clericatum: quia enim

tunc tempore facti, persona effecta est ecclesiastica, sicque extra jurisdictionem saecularem, hoc ipso statutum laicale, saltem præjudiciale, illam non ligat, quamvis jam ante clericatum ipsius fuerit editum. Alexander, lib. II. consil. 211. n. 9; Sperellus, dec. 12, n. 21, et seqq. et alii, quos citant.

350. *Statutum laicale præjudicans immunitati ecclesiasticæ, aut favori religionis non valet. Ut si statuat, quod ingrediens religionem non succedat in hæreditate.* — Additur notanter num. 347. «Nec præjudicium immunitati ecclesiasticæ, aut favori religionis.» Siquidem talia statuta laicorum ipso jure sunt nulla, et invalida, cap. ult. de *Rebus eccles. non alien.* et c. *Nimis de Jurejur.* et c. *Quantum. de Censibus*, in 6, cum similibus. Unde non valet statutum laicale, quod ingrediens monasterium, aut assumens clericatum, non succedat in hæreditate: nam tale statutum indirecte abstraheret homines a vita contemplativa, et ingressu monasteriorum, sive clericatu; sicque pugnaret contra favorem religionis, ac libertatem ecclesiasticam. Abbas, loc. cit. n. 35, id pluribus aliis probans, et allegans communem doctorum, contra Baldum in l. fin. C. de *Pactis.* et l. *Deo nobis. C. de Episc. et cleric.*

§ XV.

DE INTERPRETATIONE LEGUM, SIVE CONSTITUTIONUM.

351. *Interpretatio generatim, quid? Alia fit per modum declarationis, alia per modum suppletionis.* — Queritur I. Quid sit interpretatio legum, præsertim proprie dicta? Resp. Interpretatio generatim aliud non est, quam congrua verbi, vel sententiæ per aliud clarius explicatio. Et fit duobus modis, videlicet per modum declarationis, vel per modum suppletionis. Card. Tuschus, ltt. I, concl. 327, n. 1; Fagnanus in c. *Quoniam*, n. 19, de *Constitut.* et alii.

352. *Prior dicitur litteralis; nec est proprie interpretatio.* — Priori modo, sive per modum declarationis, fit interpretatio legis, quando verba ipsius per alia clariora verba exponuntur. Et hæc dicitur *litteralis interpretatio*, eo quod per seipsam verbum, et verbi sensus, sive constructio, quasi grammaticaliter ad litteram, seu intelligibiliter exprimitur; ut notatur in c. *Exiit. § Itaque, de Verb. signif.*, in 6. Talis tamen proprie non est

§ XV. DE INTERPRETATIONE LEGUM, SIVE CONSTITUTIONUM.

interpretatio, quia nihil novi adducit, sed tantummodo id, quod verbis legis jam inerat, aliis verbis clarius exponit: ac proinde potius censetur esse *Declaratio*. Quamvis enim hæc vox *interpretatio* quandoque accipiatur pro *declaratione*, ut fit l. I. ff. *Si certum petatur*, et alibi: stricte tamen loquendo differunt. Quia cum exponimus illud, quod verbis legis comprehenditur, legem proprie non interpretamur, sed declaramus: ut notat Bartolus in l. *Gallus. § Etiam si parente*, n. 1. et ibi Jason, num. 4. ff. *de Liberis et posthum.*; Fagnanus, loc. cit. n. 19, et alii. Interpretatio autem proprie dicitur, quando a verbis legis receditur, et mens ejusdem ponderatur, ac præponitur, ut mox amplius dicetur.

353. *Posterior est proprie interpretatio, et quid sit?* — Posteriori modo, sive per modum suppletionis, fit interpretatio, quando declaratur obscuritas sensus legis, non spectando nudam litteram, et corticem verborum, sed verba simulque mentem ipsius, et sic declarando, quod lex ad hujusmodi casum sit extensa, vel non extensa. Et hæc est proprie interpretatio: supplens, quod verbis legis deerat, sed non menti: sed aliud est, quam ampliatio quædam, ex similitudine proveniens, vel identitate rationis, ut inquit Joan. Montaigne *Tractatum*, tom. IX. tract. de *Bigamia.*, quæst. 4, num. 2, citans alios. Et desumitur hoc ex c. *In his 45. de Verb. signif.* ubi pontifex factæ a se interpretationis allegat hanc rationem: «Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem: cum non intentio sed verba intentioni debeant deservire: interpretamur,» etc.

354. *Afferuntur quædam hujus exempla.* — Id ipsum amplius firmatur, atque ostenditur exemplis: sic quippe in l. *Justa interpretatione*, ff. *de Verb. signif.* habetur quod justa interpretatione, appellatione filii, nepos comprehendatur, et patris nomine avus demonstrari intelligatur. Concordat textus in § 4. *Instit. de Legitima patron., tutel.* ubi in simili dicitur: «Non quia nominatim in ea lege de hac tutela cavetur, sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset.» Ad idem facit textus in l. *Gallus. §. Quid si is.* et §. *Etiam si parente.* ff. *de Liberis et posthum.* Ubi similis interpretatio admittitur, extendendo dispositionem legis ad casum in ea non expressum. Tacentur alii consimiles casus.

355. *Concessa potestate interpretandi statutu,*

qualis concedatur? — Atque ista esse mente tenenda propter statuta, quæ dant potestatem interpretandi statuta aliquibus jurisperitis (nam ex prædictis patet, quam potestatem habebunt, faciendi videlicet interpretationem proprie dictam) recte notat Rogerius *Tractatum*, tom. I. tract. de *Juris interpretatione*, § 2, num. 7, ubi fusius probat, quod interpretatio in hoc posteriori sensu sit proprie interpretatio, quæ postea præcipue subdividitur in correctivam, restrictivam, et extensivam, de quibus infra, num. 365, et seqq. dicetur.

356. *Clausula quod statuta aliqua non recipiant interpretationem, quid operetur?* — Insuper ex dictis patet intellectus illorum statutorum, in quibus cavetur, quod statuta intelligi debeant secundum litteram, et quod non recipiant interpretationem. Interpretatio enim est, cum a verbis receditur, d. c. *In his. de Verb. signif.* cum aliis hactenus allegatis; ergo stante tali statuto fieri non potest: et si fiat, non valet. l. *Non dubium, C. de Legibus.* Albericus a Rosate *Tractatum* tom. II. tract. de *Statutis*, quæst. 133, n. 7, Potest tamen fieri declaratio verborum talis statui, arg. cit. cap. *Exiit. §. Itaque, de Verb. signif.* ubi prohibita qualibet Glossa sive interpretatione dictæ decretalis, permittitur expositio litteralis verborum ipsius. Et per hoc patet ad alteram partem propositæ quæstionis, quid videlicet sit interpretatio proprie dicta.

357. *Interpretatio ex parte causæ efficientis, quomodo dividatur?* — Queritur II. Quibus modis dividatur interpretatio? Resp. I. Ex parte causæ efficientis, sive interpretationum, videlicet interpretatio principis, consuetudinis, judicis, et magistrorum. Ita Glossa fin. in can. *Sicut enim. §. Ex his. 11. q. 1.* et Glossa in c. 1. vers. *Interpretatio.* et ibi Abbas n. 18. de *Postulat. prelat.*; Fagnanus in c. *Cum venissent*, n. 1. de *Judicis*, et alii. Ratio est, quia omnes prædicti possunt legem interpretari, quamvis non eodem modo, nec pari cum efficacia; cum interpretatio principis sit necessaria et generalis, non idem cæteræ, ut mox amplius dicetur. Unde

358. *Interpretatio ex parte causæ efficientis, quomodo dividatur?* — Resp. II. Juxta prædictas quatuor species interpretatio ut sic recte dividitur in necessariam, seu authenticam, et in non necessariam, seu mere probabilem et doctrinalem; ex quibus prior subdividitur in necessariam generalem, tum scriptam, tum